Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 655

Quelle:
Copyright:

Elencho, quam Rubricis praefens Exemplar caret.

III. *fol.* 51. charactere minuto fortaſſe jam Sec. XIII. ſequuntur *Commentaria in Apocalypſin* hoc initio: *Apocalipſis ihesu chriſti et cetera. Beatum iohannem apoſtolum et evangeliſtam hunc librum apocalipſis ediſſe conſtat. quamuis extiterint aliqui qui non ab eo. ſed ab alio dixerint fuiſſe compoſitum.* &c. En altera vice *Berengaudum* illum, quem jam inter *Codices Hermeneuticos* protulimus, impreſſum etiam a *Maurianis* ad calcem *Operum Ambroſii* T. II. *Pariſ.* 1690. *col.* 499. f. Sed in Codice praefenti quaſi defloratus eſt, multis hinc inde Inciſis omiſſis, ut vel e concluſione patet, quae nobis talis eſt: *Ab inuiſibilibus hoſtibus impugnamur. rogandus eſt dominus ut nos defendat. Explicit liber Apocal.* Abeſt praeterea Inſcriptio, Diviſio in VII. *Viſiones*, et illa ad calcem *Admonitio*, qua nomen Autoris eruere docemur, de qua et aliis dixi ad Exemplar *ſupracit.*

CCCXIII.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 40. 8. manu perquam nitida minutius exaratus, titulis miniatis inſignitus, et, ut *pag. ult.* videre eſt, olim antiquiſſimi Coenobii *Sancti Benedicti de padolirone mantue*, I. inſcribitur: *Incipit Liber Sancti Bacharii De reparatione lapſi;* Monachi videlicet, qui cum ſacra Virgine peccaverat. Initium ejus eſt: *Benedicto in chriſto fratri. omni michi fide et dilectione uenerabili ianuario. Bacharius peccator ſalutem. Niſi uererer beatiſſime frater ne inter ſimulatos amicos iob michi portio poneretur* &c. Editum Opuſculum ab *Jac. Salv. Solanio Hiſp.* primum *Antverpiae* cum aliis *Sixti* III. Pont. 1575. dein in *PP. Bibliothecas* cooptatum legitur T. VI. *Lugd.* p. 1174. Quantum porro lectio illa e noſtro Exemplo perfici poſſet, aliquo ſpecimine ex ipſo Libelli ingreſſu docebo: R. 74

Editio	Codex
obturato linguae ſibilo.	*obturata linguę fiſtula.*
cumulus teſtimoniorum.	*tumulus teſtimoniorum.*
non admittitur in totum animus.	*non admittitur inde totus animus.*
proſtratus caſu.	*proſtratus eſt caſu.*
et non ſolationem plagae.	*nec conſolationem plagę.*
ut clarior ei poſtmodum.	*ut celerior ei poſtmodum.*
quod lateret architectum.	*quod lateret archiatrem* &c.

De autore noſtro, cujus primus meminit *Gennadius de Viris illuſtr.* c. 24. quemque Codices et Scriptores *Bacharium*, *Bachiarium*, *Bacciarium*, *Bachianum*, Angli *Baleus* et *Pitſeus* gentilem ſuum cognomine *Macceum* fecere, pluribus egit *Lud. Ant. Muratо-*